



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Divo Dionysio Et Sociis Ejus Martyribus Hymnvs

Santeul, Jean de

[S.l.], 1670

Divo Dionysio Et Sociis Ejus Martyribus Hymnvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13456



DIVO DIONYSIO
ET SOCIIS EJUS MARTYRIBUS
HYMNU S.

Lux de luce Deus, fons quoque luminum,
Quo stat perpetuus Cœlitibus dies,
Tristem sub miserâ nocte Lutetiam
Quanto lumine recreas!

Illuc intrepidus, non sine numine,
Missus Præco Dei fervidus advolat,
Aras, fana, deos, funditùs eruit,
Ritus dedocet impios.

Addunt se comites, & bene credulis
Committunt fidei semina mentibus,
CHRISTUM barbara gens jam docilis sacris
Tingi fontibus, induit.

Crescit sancta Fides, fit nova civitas,
Hinc crescit rabies in tenerum gregem.
Accinctos operi, nec timidos mori,
Pastores furor impetit.

Heu ! quantis rabies se se acuit modis !
Sta nunc , sancte Pugil , te Deus aspicit ,
Surget quanta tibi progenies ! tuo
Quæ de funere gloria !

Enses , vincla , rotas , verbera , pectines ,
Æs flammis liquidum , clatrâque ferrea ,
Duros interitus , lentâque funera ,
Tortor præparat Artifex.

Instrumenta necis fronte serenior
Spectat , supplicium delicias vocat ,
Festinatque mori jam sibi tardior ,
CHRISTO debita victima.

Tandem suppliciis fortior obtulit
Pulcrâ conspicuum canitie caput ,
Sed constante Reo sacrilegi tremit
Anceps carnificis manus.

Non cervix cecidit , cæsa stat hostia ,
Truncatumque manus sustinuit caput ,
Et post fata litat jam nova victima ,
Se se nec semel immolat.

Addunt se comites , tres & amant mori ;
Commiscentque sui flumina sanguinis ,
Ponunt sponte caput ; tres simul occidunt ;
Tres cælo simul advolant.

AD sanctos cineres , pignora Martyrum ;
Hæc sunt plena Deo , currite civitas.
Hic cunæ Fidei , quóque renascimur ,
CHRISTUM plenius hausimus.

Hic, dum justa parant prælia Principes ;
Flexis poplitibus præsidium petunt ;
Vestros ante pedes regia supplices
Deponunt diademata.

Quos sensere bonos rebus in arduis
Viventes , etiam post sua funera
Jungi Martyribus , dum veniat dies
Terris ultimus , ambiunt.

Jurant ad tumulos non violabiles ,
Contractis vigor hinc redditur artibus ;
Ægris certa salus , & sua vox redit
Mutis , vitæque mortuis.